



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Unctio Labiorum.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

Dulgeat tibi Dominus, quidquid per odorem deliquisti. Amen.

Suspirans dic : O mi JESU, Mephytim in Calvaria monte terribilem percepisti ex foetore coram Deo omnium peccatorum totius mundi & meorum. Et tamen dicebas *Sitio* plurium scilicet semper ac plurium peccatorum animas. Per istum ego amorem tuum te adjuro. Da talem de peccatis meis contritionem, ut tibi holocaustum sit perfectum, & gratus ex iis sacro contritionis igne extinctis penitusque in favillas redactis odor ascendat in caelos coram Patre tuo.

Unctio Labiorum.

DUm Sacerdos dicit : *Per istam sanctam Unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per gustum & locutionem deliquisti. Amen.*

Suspira dicens : O JESU, multum deliqui per gustum & linguam meam licet toties in Eucharistico epulo sacro tuo cruore purpuratam. Per miram verborum tuorum è labiis tuis dulcissimis prodeuntium, & à sacratissima lingua tua formatorum omnipotentiam, per hanc ipsam sacratissimam linguam tuam ita siti adustam, felle & aceto potatam, rogo te, munda polluta labia mea & linguam, ut felle draconum & veneno aspidum insanabili non potetur in inferno, sed in tuae linguae mellifluae & pacis osculo, quod super mel omne suave est, lætus transeam ex hoc mundo.